



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

67. Tempestas in Westphaliâ. Nutans agger, operâ Wilichij conservatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

Regum ac Principum conspiratio, & ipsius *Christophori Bernardi* solerter id componentis, inque singulos dies coacto sub manu milite potentioris excrescens auctoritas, distraxit animos Batavorum, ut Provincia omnes, quantumcunque in armatam Monasterij liberationem antea proclives, mutata mente, vix aliud concluderint, quam epistolâ velle hortari Cives, ut *proiectum* amplectantur, ac simul rogare *Friquetium*, ipse ut *Christophorum Bernardum* humaniter flectat, ne *Tubicinem*, designatum ad Urbem Reip. *Tabellarium*, denuò remoretur.

torum  
Principis.

Batavos  
divertunt.

Apud *Westphalos* interim die octavâ decimâ *Decembris* repentina tempestas, quâ vix unquam alia violentior hisce locis visa est, non modicam *Dicæcesi* stragem inflixit. Imensas extirpabat arbores, lacerabat tecta, sternebat domos, & aliquot turres molasque evertit. Indè ad prætoria *Castra Æolo*, *Neptunòque* certantibus, superior agger vitium passus est. Retinendis namque aquis impar, ventorum, fluctuumque vehementiâ, partem ruptus, multis undis elabendi viam fecit. Et nisi fatiscenti alveo sexcentis operis noctem, diemque se objecisset, reparassetque *Wilichius* *Castrorum Præfectus*, fracto quaquaversum aggere, tota facile moles Civitatem hausisset. Ut profectò sæpè postea fassus sit *Christophorus Bernardus*

67.  
Tempestas in  
Westphalia.

Nutans  
agger.

Operâ  
Wilichij  
conser-  
vatur.

1661.

512 CHRISTOPH. BERNARD.

us, plurimum debere *Wilichiorum* familiae Monasterienses, quod unius *Wilichio* vigilantia ab interitu, certe ab irreparabili damno fuerint tunc praeservati. Jamque *Alpha* nullo infra Urbem reperto flumine aut exitu, paulatim stagnans in tantam Monasterij altitudinem excreverat, ut cellae locaque subterranea, & humiliore situ, Civitatis aedes tumidus permearet, ac vicij, praetereaque lintrium usu navigarentur.

68.

Pressa  
Civitas.

Civitas jam dudum a penuria, & nunc a ipsius elementis, ac desperatis aliunde suppeditis quotidie angustior, ineunte jam anno supra millesimum sexcentissimum sexagesimo primo saniora cepit consilia agitare. Ad Kalendas Januarij *Coesfeldiam* emittuntur Joannes *Wichartius* Divi Lambertus Curio, & Leonardus *Helmius* e Franciscanae strictioris observantiae familia, Provinciae sanctae Crucis in Saxoniam moderator. In Castris a *Wilichio* excepti, custode equitatu (nec enim loqui cum aliis permitti sunt) *Ludgeriburgum* deducuntur. Isthic tametsi Principem non videre, in conclavi namque privato a consortio reliquorum se juncti erant, internunciis tamen actum; & quas flagitarunt liberi commearum tabulas, tam ample obtinuerunt, ut quotquot Urbem nominare vellet de pace tractaturos, iidem inferendi concessa sit facultas. Quo vero opportuniùs utrinque agi posset, diem Principis

Duos ad  
Principem  
emittit.